



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XV. Jejunium Domini, & vita in deserto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

O Mater Dei sanctissima, quæ in terra conversatione Domini Jesu fuisti opulentior omnibus mundi potentibus, & ei placuisti præ omnibus creaturis! duc me in societatem hujus Domini, & impetra mihi, ut alia omnia mihi fiant insipida. O Curia cælestis, quæ semper vides hunc Dominum, & ob hoc affluis omni felicitate ac beatitudine! tu bene scis, quomodo tendam ad interitum, quando non sequor hunc Dominum: impetra mihi, ut ejus amore capiar & pulchritudine, donec vobiscum semper eo gaudeam cum satisfactione. Amen.

ÆRUMNA XV.

Jejunium Domini, & Vita in Deserto.

I.



Um Dominus esset ejus ætatis, ut deberet se magis manifestare mundo per doctrinam & miracula, iussit Spiritus sanctus Joannem prodire ex deserto, & Judæis prædicare pœnitentiam; quòd adesset Christus verus Filius Dei, pridem ipsis promissus. Et quia Dominum antè non viderat; ne argui posset testimonii dati de eo, quem ipse haud nôllet; dedit illi indicium, quòd ille sit Christus, super quem visurus esset Spiritum sanctum descendere in specie columbæ. Dum ergo prædicaret Joannes, ac baptizaret pœnitentes in Jordane, Dominus inter peccatores accessit, petiitque Baptismum. Jam assumpserat carnem peccatoris Adami, & formam pœnámque in Circumcisione, & operibus pœnitentiæ, quæ toto tempore vitæ peregerat: sed ut magis conformaret se peccatoribus, qui convertebantur, voluit baptizari cum illis, sanctificando pariter aquas, quibus olim abluti gratiam erant consecuturi. Joannes eum statim agnovit, antequam videret signum Columbæ. Unde videtur hoc signum ei non datum esse propter se, sed ut per illud aliis fidem faceret suo testimonio. Nec poterat illa puritas animæ sanctissimæ, & charitas, quæ flagrabat erga divinum Sponsum perfectissimus amicus Sponsi, illum non agnoscere. Quia lux oculis mundis & apertis occultari non potest: & amor, qui primâ horâ sanctificationis occupavit animam
ejus

*Jesus baptizatur in-
star peccatoris, & si-
militer sancti-
ficat aquas.*

ejus in utero, sentiens praesentiam sui dilecti, non potuit eum agnoscere, quem cernere non poterat oculis. Sanè, si agnelli sine alio signo suas matres agnoscunt in medio grege, & hæc noverunt illos, utcumque sint colore ac forma similes aliis; quomodo Joannes non eum agnosceret ex millibus, à cujus spiritu & amore solo vivebat? Hoc est privilegium puri amoris DEI, nòsse illum in quacunque forma, quantumvis aliena & impropria. Qui de hoc dubitat, amet; & postea queratur, si eum haud noverit.

*Amantem
Deum statim agnos-
cunt, quæ-
rumvis
abscondi-
tum.*

II. Recusabat Dominum baptizare Joannes, & hunc favorem optabat potius recipere à manu ipsius, ut plenior fieret gratia ac donis divinis; ac reputabat se non rectè obiturum suum officium, si, quem prædicare debebat filium DEI, priùs baptizaret ut peccatorem. At ubi Dominus exemit illi hunc scrupulum, dicendo sic oportere fieri in exemplum poenitentiae, humiliter paruit. Quia Sancti in his, quæ faciunt in obsequium DEI, non nituntur suo judicio, nisi cum de voluntate divina aliunde non constat, sive ex eventu, sive ex alio signo: nam tunc ordinem rerum suæ divinæ Majestati committunt, de sola ejus executione solliciti, non se miscendo ejus divinis & occultis judiciis. Ita Joannes permisit Christum præ se ferre signa humanæ naturæ, divinæ testimonium superaddens, ut jussus erat: ac modum id confirmandi & prævalendi, sapientiae ipsius relinquens.

*Joannis ob-
bedientia.*

III. Unde etiam statim post Baptismum Spiritum sanctum in figura Columbæ super Christum vidit descendere, & populo dixit, hunc esse Agnum DEI, qui tolleret peccata mundi. Et Pater aeternus idem clara voce de cælo comprobavit dicendo, hunc esse filium suum dilectum, in quo sibi bene complaceat: indicans, posteaquam eum vidit factum hominem, & in figura peccatoris, non ampliùs inter se & peccatores fore displicentiam, quâ hæcenus fuerit alienus ab ipsis. Idem testimonium cum commemoratione prædictorum signorum, repetivit Joannes, Domino præsentem, cum rediisset ex deserto: & cum Pharisei quærerent, an ipse esset Messias: & tota reliqua vita sua usque ad mortem constanter ac fideliter officio suo fructus est, omnes contestans, ne ullam sui rationem haberent, eò quòd indignus esset solvere

*Spiritus
sanctus, ac
Domi-
nus Pater
testantur,
Iesum non
esse peccato-
rem, quia
Iesum se gere-
bat, sed
peccatorum
abolitorem.*

corrígiam calceamentorum ejus, & quod imminui se oporteret, Agnum verò DEI crescere.

IESVS
amore du-
ctus in de-
sertum,

IV. Christus, ut hanc sui manifestationem doctrinâ confirmaret, ac divinis operibus, voluit priùs 40. dierum recessu ad ad hoc se accingere, ac de fructu doctrinæ, passionisque securæ, tractare cum Patre, tametsi totis annis 30. jam nihil aliud egerat. Et quamvis ei suus divinus Spiritus inseparabiliter adstiterat, dicitur tamen peculiariter eum duxisse in desertum, ut intelligamus renovata in ejus corde immensa incendia, cum tempus appeteret pugnæ, ad quam anhelabat; simul etiam magnitudinem negotii, quod tanto pondere, numero & mensurâ aggrediebatur. De commoratione in deserto aliud non memoratur, quàm illum jejunasse, & sub finem tentatum fuisse. S. Lucas dicit, eum nihil interim comedisse: S. Marcus, eum fuisse cum bestiis, & Angelos ei ministrasse: relinquentes nobis occasionem considerandi, quas molestias passus hîc sit Dominus, utpotè in Januario & Februario, mensibus asperis ab aura, pluvia, nivibus, gelu, frigore, luto, sine domicilio ac tecto, sub quod se reciperet: majorem partem noctu frigus passum oportuit, vestibibus madidis à pluvia, quæ interdum non siccabantur aliter, quàm gramina soleant à sole non forti. Humi cubantem duritia soli vexabat; incedentem, saxa & spinæ; ac denique innocentissimum corpus ejus patiebatur, quod non erat promeritum: nec dabat creaturis licentiam, ipsum aliquo modo recreandi, aut refocillandi; quod erant utique facturæ Creatori ac Domino suo. Jejunium ipsum sine gravi cruciату non fuit, ac debilitate corporis, mente occupata cum DEO. Neque enim sibi indulgit, quod Moyse & Eliæ, ut per miraculum non sentirent famem ac sitim per tot dies: sed ut cupidus erat patiendi, sustentavit solam vires, quantum erat opus ad orandum & patiendum, debilitate ac fame interim crescente ac sæviante, ut sine dubio ipsum perimeret, nisi per divinitatem vitam ad ampliùs patiendum servaret. Atque ita miraculum fecit ad se magis torquendum. Quanta sit vis famis, multis exemplis novimus eorum, quos ad immania & infanda adegit: non minor fuit in Christo, licet nihil eorum, quæ alii in hac necessitate, commiserit. Toties ergo vitam ei debemus,

Jejunium
Domini
sine crucia-
tu non fuit.

mus, quoties erat moriturus præ fame, nisi amore plura patiendi pro nobis, miraculo vitam servasset.

V. Quòd autem fuit cum bestiis, prætereundum non est, ut videamus, quòd usque ad consortia serpentùm, ac bestiarum se nostrâ causâ demiserit. Et hæc ipsa non ad oblectationem ali-
I E S V S
cum feris
agens, quid
cogitavit.
quam ex iis capiendam admisit, sed ad memoriam bestialis vitæ peccatorum; quorum non sine intimo sensu ac suspirio recordabatur, cum illas ad se mansuetè venientes, aut vocatas blandè demulceret, affusis ardentibus lacrimis & orationibus pro feris moribus rationalium leonum, urforum ac viperarum, & eorum præsertim, quos cum lenissimè alliciat ac tractet, nihilominus prævidebat in sua feritate perseveraturos, ac perituros æternùm. Cum autem & Angeli ad eum accederent ministraturi, & omnem ejus nutum observaturi; solus homo deerat, cujus tamen causâ descendit è cælo: quod Dominus sine magno dolore non vidit: sed accinxit se ad eum quoque adducendum, quandoquidem ultro non veniebat, imò summo studio & labore quærentem fugiebat. Est sanè, quod invidemus his animalibus, quæ in societate Creatoris nativæ feritatis obliviscuntur; & imitemur Angelos, qui inter feras Dominum suum agnoscunt, & assistunt ad ejus obsequia. Neque enim per hos nos Dominus excludit, sed omni hora patère nobis vult accessum ad se, quem tantopere desiderat; sive tanquam bestię deponamus ferociam, sive ut Angeli cum puritate & amore ipsum quæramus. Non enim ivit in desertum, ut fugeret homines, sed ut redeat ad eos colligendos tantò majori humanitate, quantò gravius sensit eorum absentiam.

VI. His exemplis Dominus duo quædam nos docuit, perquam salutaria. Primum, quanti momenti sit salus animæ, quam
Quanti
momenti
sit salus
anima.
ipse tanti fecit, ut negotium ejus non aggredereetur antè, quàm Patris æterni justam iram placasset 40. dierum jejunio & oratione; opus, quod suscipiebat, ei commendans, ac doctrinæ laborique suo benedictionem & assistentiam petens. Non intererat ejus, nos perire aut salvari: sed posteaquam in se recepit hanc curam, cum intelligeret, quanti res ponderis foret, omni diligentia, studio, totisque viribus eam sibi tractandam censuit. Et quoniam
omnia

Matth. 16.
v. 26.

Luc. 21.
v. 20.

omnia nostra dependent à salute animæ, omnes actiones nostras ab eâ regi vult, nec illi quidquam acceptum est, quod in præjudicium animæ cedat. Ex quo agnoscamus licet conditionem, in qua sumus, cum tanta tantique momenti obligatione; cuius tamen miseri majori parte vitæ aut obliviscimur, aut exiguam rationem habemus, quasi minimæ omnium. Atqui Christus, æquissimus rerum ponderator dixit: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur?* & narravit de quodam, qui abundans opibus, non majorem curam habebat, quam ut dilataret horrea sua immemor animæ: sed ei de cælo dictum est: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem parâsti, cujus erunt?* & addidit: *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* O igitur stulti Reges, & Doctores, Monachi & Sacerdotes, Prælati & Antistites! ô stulti Duces & Milites! stulti Equites & Pedites! stulti divites & pauperes! stulti privati & amici Principum! ô stulti otiosi & operarii, stulti mercatores & negotiatores! stulti omnes Christi sententiâ, quotquot consumptâ vitâ, viribus & ingenio, inter vestras occupationes negligitis ac perditis animam! quid juvat, omnibus rebus abundare, si vacui cælestibus, cum alia defecerint, detrimentum animæ patiamini? Meritò res hæc ingentem timorem incutiat nobis, cum videamus Apostolum confirmatum in gratia, castigare suum corpus, ne peccet: Augustinum nullam ampliùs horam impendere tradendis artibus liberalibus, ne quid decedat occupationibus debitis animæ: Bartholomæum excoriari, affari Laurentium, Baptistam 25. annis nullum verbum otiosum loqui, Apostolos & Martyres dilaniari, integras cohortes Sanctorum abire in desertum, alios ingenti spiritu condere monasteria, quasi totidem carceres, ut fugiant mundum; immensam diligentiam, insatiabiles labores, ardentissimos spiritus, quibus prædicti & innumerabiles alii contenderunt animas suas collocare in tuto: præsertim, si accedat, quod plena sint omnes viæ perditionis & vitiorum, cum vana confidentia salutis; tempus malè consumatur; libertas maxima sit sensuum, inventiones recreationum plurimæ; saluti animarum detur minimum temporis, residui aliis occupationibus, & ferè magis in-

commo-

commodi; & hoc ipsum tamen habeatur pro magno, aut etiam nimio, quantumvis tepidum, pigrum & vile sit, quod facimus pro anima. Cujus quidem mali non aliud apparet remedium, quam ut oculos conjiciamus in Christum, ac petamus, ut nostri, quos tam caro ex amore redemit, meminisse dignetur. Quanquam qui nos sine nobis redemit, sine nobis nos haud salvabit: Ac licet nemo salvetur, nisi vocatus à DEO; ipse tamen non rogatus nos vocat, & antequam rogemus eum, paratus est nos juvare: defectus autem semper est in nobis. Discamus igitur à Christi diligentia, quantam nos oporteat curam habere salutis, & obtinendi, quæ ad eam sunt necessaria.

VII. Alterum documentum est, quomodo nos jejunare, & alias virtutes externas exercere conveniat, ut per eas tollantur mala & vitia, contra quæ suscipiuntur. Nam, ut quidam ait, *Jejunare est peccare, est imitari diabolum.* jejunare & peccare, est imitari diabolum, qui semper facit mala, & nunquam comedit. Christi jejunium fuit conjunctum orationi: & secedens à strepitu hominum, totus erat intentus rebus divinis. Et Deus in Sacra Scriptura damnat jejunium cum propria voluntate, malis operibus, pravis occupationibus, & inclinationibus, legi divinæ contrariis. S. Gregorius jejunium, sine mortificatione affectuum, comparat Simoni Cyrenæo, qui portavit *Jejunium sine mortificatione, non tollit vitia.* Crucem Christi, sed non est in illa mortuus cum Christo. Ita jejunium solum non tollit vitia, nec plantat virtutes in anima; sed potius per illud committitur injustitia quædam, ut innocens puniatur pro reo; venter pro lingua, quæ maledixit; pro oculo, qui lasciviit; pro desideriis, quæ sine freno vagantur; pro aliis vitiis, quæ regnant in anima, sine alio remedio præter jejunium. Deus non est injustus, ut accipiat satisfactionem ita iniquam, & poenitentiam ita inanem. Si abstineamus ab eo, quod nocet animæ, hoc erit gratum jejunium. Non quòd malè faciat, qui in peccato jejunat; licet hoc ei ad salutem non profit; melius est enim, jejunare sine merito, quam non jejunare cum demerito; quia saltem reddat aptiores ad bonum: sed hæc dico, ne rem tam pretiosam tamque laudatam à Patribus, faciamus absque fructu; quem percipit, qui mortificationem conjungit jejunio. Porro moderationis in

Regula moderandi jejunium.

jejunio duplex est regula. Prima S. Augustini, ut vitetur in eo multitudo ciborum; ne jejunium vertatur in luxum. Altera, ne sic debilitetur natura, ut impediatur à melioribus; ut est, administrare Sacramenta & verbum Dei; maximè si hæc ex officio facienda sint: præcipuè verò, ne impediatur ab oratione, in qua plus lucratur anima, quàm ulla alia exercitatione. Qui hanc moderationem non servant, melius est, ut comedere cogantur contra suam voluntatem, quàm ut jejument. Sed & illa diaboli fraus vitanda est, qua quidam sunt magis dediti voluntariis jejniis, quàm præceptis. Conatur enim hostis eos per voluntaria debilitare, ut tandem præcepta servare non possint; vel sint minùs devoti ad præcepta, quàm ad voluntaria. Denique omnis virtus, quæ habet plus propriæ voluntatis, quàm obedientiæ, suspecta est. Mavult enim Deus obedientiam, quàm victimas, qui per obedientiam est immolatus in Cruce.

E X E R C I T I U M

Circa Jejunium & Vitam Domini in deserto.

I.

GLoria Angelorum, divitiæ beatorum, & fidelissime Amator pauperum peccatorum, mi bone Jesu, Deus ac Dominus meus! quas tibi gratias agam pro favoribus, quos mihi fecisti, & facis omnibus horis? laudent te mecum, Domine, omnes creaturæ tuæ: & quia major es omni laude, opera tua te laudent, perfectiones tuæ & magnitudines tuæ: quia ad mensuram earum imple me dominis, non secundum capacitatem meam. Quid me fieret, si non tu mei curam suscepisses, & si essem sine gratiis, quas continuo mihi largiris? Doce me gratum esse, quantum debeo, & amare te, quàm maximè possum; quandoquidem non possum te amare, quantum mereris, saltem totum me, & quidquid est in me, occupet amor tuus. Tu bene scis, Domine, si conjungeres in me amorem omnium justorum, quos habes in cælo & in terra, egoque omnium amore continuo te amarem, perexiguum fore comparatione ejus amoris, quem tu geris erga me, & curæ, quam habes de me. In illa magna æternitate, priùs, quàm nascerer, me habebas præsentem in divina tua sapientia, & suscipiebas in te peccata mea, necessita-

Amor omnium simul justorum est exiguus re-

cessitates meas, & media salutis meæ. Bene videbas, me tibi non esse necessarium; sed ex æterno amore, quo me diligebas, misertus es mei, & fecisti, quidquid erat in te, ne damnarer.

*pectus eius,
quo DEVS
nos amat,*

II. Adoro hunc infinitum amorem: adoro hoc pectus, cui me habebas inscriptum: adoro hanc curam feruentem, quam gerebas de mea salute. Non pereat Domine, hæc tua creatura; ne frustra curam illam & laborem impenderis. Amore mei vadis in desertum: versaris Filius DEI cum feris: recipis Angelorum seruitia, & suspiras, quòd ego non adsim: me desideras: pro me jejunas 40. diebus: pro me affligeris fame, ac debilitaris: pro me degis in sole, vento, pluvia: pro me cubas humi: pro me lacrimas multas fundis ad Patrem: pro me exoras, ut mihi placetur, & satisfaciat ei meritis tuis, acceptans tuos cruciatus & mortem: pro me rogas, ut aperiat mihi sensum, ad audiendam & recipiendam tuam doctrinam; ut me illuminet veritate tuæ Fidei; sufferat peccata mea & recipiat me in gloriam suam. Quid habeo, vel spero boni, ô pie Iesu! quod non debeam his lacrimis, his accensis orationibus, huic pœnitentiæ, jejunio & amori, quo negotiaris pro omni meo bono, priusquam sim natus, priusquam te noverim, te amaverim, aut potuerim te rogare? O mi amantissime Pater! quæ anxietas & cura est hæc, tam tenera & sollicita, quam geris erga hanc pauperem creaturam? Tu magis sentis mea mala & meam perditionem, quàm si me parturires: majore tenerritudine me curas, quàm si gestâsses me intra tua viscera. Imò quid dico? in isto corde me ferebas, me amabas, colligebas, vocabas & excitabas. viribus & opera hujus æterni amoris; ut cum vixero, circumdatus miserationibus tuis, amorosum hoc & paternum pectus tuum agnoscam. Accendere igitur & inflammare, ô frigidum cor meum! amore hujus tam suavis ac dulcis Domini. Dilatare, cor pauper: qui te tantopere desiderat, ac tantum fecit pro te, non poterit te aspernari. Ego, bone Iesu, nescio amplius loqui; sed conjicio me in hunc ignem amoris, quo tu flagras: ibi divinus amor tuus dedit mihi esse, & omne bonum: eò revertor, ut me offeram. Ure me, Domine, & combure, & da mihi hoc, quo me trahis ad te tot lacrimis & laboribus. Ego ex toto corde amo te, mi bone Iesu: & si tu vides, quòd non ita sit, sal-

*qui etiam
Iesum ad-
egit in de-
sertum.*

tem desidero toto corde te amare: & si vides hoc desiderium ex toto corde non esse, desidero tale desiderium: & si in hoc toto decipior, scio me non decipi, quòd tu, qualiscunque sum, me recipias.

*Deploratio
nostra
negligentia.*

III. Vides hìc, Domine, pro quo labores: vides in me, quòd tibi dolet; sed in te, quòd mihi est opus. Fac quòd scis, quòd potes, quòd vis in hoc paupere tuo seruulo. Fac, ò Lux Divina, ut me videam in te, & me cognoscam: ut cognoscens abhorream; abhorrens à me ipso fugiam, & veniam ad te, qui solus potes me liberare, & sanare vulnera mea. Quæ justitia & quæ convenientia est, Deus meus! ut tu tanta diligentia & sollicitudine procures salutem meam, & ego tendam ad interitum, sine cura tecum agendi? Tu, bone Jesu! à tui conceptione in utero, usque ad mortem in Cruce, totam vitam, totam occupationem, omnem operam & laborem consumpsisti in hoc; & ego miser ac cæcus, non animadverso periculo, quòd me undique cingit, vivo immemor mei ac tui, quasi nihil mea referret. Tempus, quòd largitus es mihi ad tua obsequia, & merita regni tui, prætervolat: & ego id infumo in peccatis & cupiditatibus; quæro occupationes facturæ, ut inter oblectamenta iacturam illius non sentiam. Transientia, præterit juvenus, & omnis reliqua ætas, ut cum veritate non possim dicere, me unum bene & perfectè transegisse, sine defectu in opere meæ salutis. Cogitationes distractæ, desideria animæ malè impensa, memoria scatens infinitis vanitatibus, intellectus occupatus in rebus terrenis; voluntas in pudendis vilitatibus: sed & jejunia, preces, & alia, quibus poteram tibi satisfacere, sunt ejusmodi, ut propter teporem, imperfectionem, & culpas admixtas, meritò me possis pro illis punire. Omnis alia res, quæ occurrit in vita, me sollicitum habet & anxium, plenum cogitationum & passionum tristitiæ, lætitiæ, timoris aut spei. His ita divisum & occupatum est miserum cor meum, ut, cum volo agere tecum, vel de te, me ipsum non reperiam, neque omnino putem, me esse opus manuum tuarum: tam alienus à spiritualibus, tam durus ad tuam conversationem, tam ignarus in puritate cordis, tam exigui gustus in rebus, quæ tecum conjungunt, tam rudis in omnibus, quæ mihi sunt

sunt propria; quasi non essem natus ad amandum te, & ad vitam æternam. Ita peto à te cælum, ac si id mihi deberes: ita vivo securus, ac si id meritus essem: ita mihi satisfacio in qualicumque bono, vel specie boni, quod facio tam pigre, tam male, cum tanta tepiditate; ac si jure dominus forem regni cælestis. Omnis alia occupatio apud me habet priorem locum; cum tamen hæc sit præcipua: & tu vides periculum securitatis, in qua dego, & ego ipse id nolo videre. Et amor, quem erga me geris, te cruciat & afficit dolore, quem ego deberem habere.

IV. O Fons bonitatis & misericordiæ! Ô Pastor divine, Filii DEI vivi, qui de cælo venisti in terram ad quærendas oves perditas, & ideo quæris eas, quia nos scimus eas perdere, sed non scimus reperire! Ego me perdidisti, ut ovis aberrans: deserui pascua tua dulcia, quibus pinguescunt animæ, pro venenatis herbis mundi. Profugi ex tuo ovili, deserendo obedientiam, & sequendo lupos, qui me devorant & consumunt. Perdidisti viam, quâ me ducebas, & abivi transversum in devia, quæ ducunt ad interitum. Agnosco, divine Pastor, me errasse ubique: quære tuam oviculam, quære tuum servum, admitte me in societatem harum Bestiarum, inter quas vivis; *Homo manus in brutis.* quandoquidem evasi magis brutus, quàm illæ; recipe me solitâ *quàm bestie.* tuâ humanitate, & subice tuæ obedientiæ. Duc me tecum, Domine: planta in corde meo vivam & efficacem cogitationem salutis; quandoquidem vis, ne peream. Et quia hoc est, ad quod me obligas super omnia; fac divino tuo lumine, ut semper videam, quantum id mea interfit, ut tibi associer in cogitatione & labore, quo meam salutem operaris; & tua virtute adjuves infirmitatem, quam vides in me. Tu, Domine, dixisti, quòd nemo possit venire ad te, nisi pater tuus attraxerit eum; tu, Domine, bene scis non opus esse Sanctis, ut trahantur, sed peccatoribus, ut eos sanctifices: non debent tractari mites, sed duri intractabiles, ut cicurentur: non mansueti, sed feri, ut mansuetudine tua mutantur: posteaquam tuâ benignitate trahis ad te feras, & familiariter tractas; non mihi negabis, quo minùs inter eas assistam, quæ te non nõssent amare, nisi tecum essent, aliàs ad priorem feritatem reditura. Sed si me attraxeris, me semper tecum retinebis domesticum & mansuetum,

velut agnum ex lupo, ovem ex leone, humilem servum è vipera, qui per omnem vitam te sequetur, sicut desideras.

Osee 2. 14.

V. Tu per Prophetam promisisti animabus, à te separatis, te ducturum in solitudinem, & ibi locuturum eis ad cor: tu scis quæ sit ea solitudo, ubi sine turbis ac strepitu rerum terrenarum possis audiri: quæ sit, ego non intelligo; sed hoc bene scio, quòd, ubi te solum audirem, & tu loquereris ad cor meum, ibi plenus essem te, & tibi satisfactum esset in me. O solitudo plena omnium bonorum, qui te aliquando posses videre! Ah Domine! duc me in illam, loquere mihi ad cor: loquere, Domine, & ego audiam: obmutescant omnes aliæ voces: vox enim tua dulcis, & eloquium tuum suave. Mox uno momento me purgares, me tuo amore corripes, mihi verteres in amaritudinem omnia, ne me disjungant à te. Taceant igitur omnia, loquere tu solus, Magister meus, ac Dominus meus, divinus Consolator meus, & purus amor meus.

*Beata solitudo cum
IES V.*

VI. O Mater DEI, ovis purissima, quæ nunquam errasti, sed semper secuta es in spiritu Dominum, & à societate ipsius accepisti plura bona, quàm simul omnes aliæ creaturæ: participa cum hoc pauperculo: fac, ut recipiatur à Domino, & possideatur totus ab eo, ne ulla res alia vel minimam mei particulam retineat. O Curia cælestis, duc me in hoc desertum cæli, securum à nostris periculosis tumultibus, plenum æternis deliciis, & bonis gloriosis: & quia sum creatus, ut sim in vestra societate, impetrate mihi vivum desiderium ejus, quod vos indefesso studio procurastis, ac tali modo transire per adversa hujus vitæ, ne vestrà beatà societate priver. Amen.

ÆRUMNA XVI. Tentatio Domini.

I.

*Diabolus
tentat sub
specie boni.*



Transactis absque cibo 40. diebus, Christus permisit naturam suam ita debilitari, ut diabolus putaret se bonam occasionem habere, illum tentandi, sine sui manifestatione. Solet enim uti hoc astu, ut observet, quando possit sub specie faciendi boni, vel necessitatis, vitandi saltem majoris mali, incautos seducere. Quamquam apud eos, qui